

mani Pontifices voluntatem suam ita declarant, nequit habere locum ea sententia theologorum. Refert Bellarminus (l. c. c. 7.) ex Paludano vetuisse Bonifacium ne Poenitentiarius iniungeret satisfactiones confitentibus peccata anno illo Iubilaei. Forte rem clarius expressit Glossa in illam Extravag. Bonifacii, inquit, declarasse Pontificem quod sui poenitentiarii nil debent iniungere ultra iniunctionem hic positam, visitationem nempe basilicarum; qua declaratione et consulitur integritati Sacramenti et fideles a non debitis oneribus sublevantur, cum praesertim ea aetate satisfactiones a Confessariis impositae solerent esse non adeo leves.

§. IV.

De Indulgentiis pro defunctis.

I. Praemittenda quae certa sunt. Certum est 1° indulgentias defunctis (utique in gratia) non dari per modum absolutionis; quia cum amplius non sint subditi Ecclesiae, nequit haec in eos ullam iudicalem potestatem exercere.

Certum est idcirco 2° concedi indulgentias defunctis per modum suffragii. «Suffragii nomine (ait Gulielmus Estius in IV. D. 20. §. 11.) auxilium seu subsidium ecclesiasticum oportet intelligere, ut indulgentia per modum suffragii non aliud sit quam indulgentia, quae datur per modum auxilii ecclesiastici, id est eo modo, quo fideles per pia opera subveniunt aliis seu vivis seu defunctis. Quod cum fiat trifariam, vel merendo per opera, vel impetrando per orationes, vel satisfaciendo per passionem, indulgentia ut talis, cum proprie dispenset passionem sanctorum, non cuiuscumque suffragii ecclesiastici, sed satisfactorii tantummodo rationem habet». Cf. verba Leonis X citata §. 1.

Certum est 3° Romanum Pontificem non posse immediate, absque pio opere vivorum, dare indulgentias defunctis: «hoc enim est inauditum in Ecclesia, ait Lugus (l. c. n. 62.); nunquam enim Pontifices concesserunt aliquam indulgentiam defunctis, nisi concedendo vivis subditis, ut per pia opera propriam indulgentiam pro defuncto lucrentur: nunquam ergo agnoverunt Pontifices in se talem potestatem, quam in nullo prorsus casu exercere ausi sunt».

Certum est proinde 4° dari has indulgentias *directe* vivis, *indirecte* defunctis. *Directe* enim et *principaliter* (ut cum s. Thoma loquamur suppl. q. LXXI. a. 10) ille indulgentiam accipit, qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicuius sancti. *Indirecte* autem et *secundario* datur indulgentia ei, pro quo aliquis facit id, quod est indulgentiae causa. Cum ergo mortui nequeant

facere id, pro quo indulgentia confertur, iis ipsa non directe, sed indirecte datur.

Certum est 5° concessionem indulgentiae pro defunctis esse actum quemdam potestatis. Nam et Pontifices ius illud sibi vindicant propter verba Christi ad Petrum; et quamvis quilibet fidelis possit satisfactiones suas applicare defunctis, atque a Deo impetrare ut propter Christi merita et satisfactiones remittat defunctis poenam, nemo tamen dixerit fidelem ita agentem concedere indulgentiam defunctis. Cuius discriminis ratio nulla alia est nisi quia concessio indulgentiae est dispensatio thesauri Ecclesiae ex auctoritate.

Certum est 6° requiri aliquam causam convenientem pro concessionem huius indulgentiae, quae causa alia sit ab ipsa utilitate defunctorum. Id Romani Pontifices, omnesque theologi cum s. Thoma (l. c.) docent. Et sane primo eadem haec ratio valet ac in indulgentia pro vivis; non enim dominus sed dispensator thesauri est Rom. Pontifex: cum vero praeterea haec indulgentia detur directe vivis, patet quod haec quoque sequitur conditionem indulgentiae vivorum, quae causam requirit. Deinde quod causa alia debeat esse ab utilitate defunctorum constat rursus ex paritate indulgentiae pro vivis, ad quam huiusmodi causa requiritur, tum quia secus posset Rom. Pontifex ad libitum liberare omnes animas purgatorii, si infallibilis sit haec indulgentia: quod tamen, etiam hac admissa hypothese, nemo concedit.

Certum est 7° esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, quae valeant pro defunctis. Id ipse usus a tot seculis, cum de eo veteres quoque theologi mentionem faciant, confirmatus auctoritate Sixti IV (cf. Lugum l. c. n. 57) et Leonis X (cf. eius verba §. 1.) satis demonstrat.

Certum est 8° aliquam specialem efficaciam competere indulgentiis concessis ab Ecclesia pro defunctis prae suffragiis, quae fideles ex voluntate propria offerant Deo pro iisdem. Nam auctoritas Ecclesiae dantis indulgentias, quae non intercedit cum fideles ex devotione suas satisfactiones applicant defunctis, aliquid coram Deo efficere debet, et dignitas Ecclesiae offerentis satisfactiones ex thesauro praevallet dignitati cuiusque fidelis, cuius tamen, pro sua penes Deum dignitate, acceptatur satisfactio in favorem alterius.

II. Utrum vero sit infallibilis effectus indulgentiae concessae defunctis, cum debitae positae sint conditiones, sit nempe auctoritas in dante, causa proportionata adsit, et vivus rite praestiterit quod exigitur a dante, disputatur. Lugus censet (l. c. n. 59) infallibilem esse eius effectum non secus ac indulgentiae pro vivis. Ratio est 1) quia Leo X de utriusque indulgentiae effectum, cum debitae exstite-

rint conditiones, loquitur cum eadem certitudine: 2) quia et concessio huius indulgentiae actus est potestatis clavium, ut idcirco detur defunctis quoque indulgentia *ex auctoritate apostolica*, ut loquitur Leo X; oportet ergo ut haec concessio fundetur in promissione Christi, cui innititur certitudo exercitii potestatis clavium, *quodcumque solveris, erit solutum*: atqui promissio Christi est infallibilis.

Alii e contrario non negantes quod ait Lugus, advertunt tamen quod concessio indulgentiae pro defunctis debet sequi naturam propriam huius indulgentiae. Atqui proprium est huius indulgentiae quod transferatur ad defunctos per modum suffragii: sequitur ergo naturam suffragiorum, quae alter exhibet pro altero. Iam vero, aiunt, certum non est quod Deus velit acceptare semper suffragia unius pro alio. Scilicet non solum certum est quod ad id non tenetur Deus ex iustitia, sed solum ad id movetur ex misericordia et benignitate, sed praeterea non certo constat promississe Deum se semper huiusmodi satisfactiones pro aliis oblatas acceptaturum. Illud scilicet idem in hac re defenditur ab his theologis, quod defendunt generatim in quaestione de satisfactione pro aliis. Contrariam sententiam sequitur Lugus cum aliis. Quia vero eadem argumenta sunt, eademque solutio quaestionis ac ea, quam exposuimus in Th. XXXIX n. VII., hinc eo reiicimus lectorem. Quaestionem proinde de infallibili effectu indulgentiae pro defunctis, quemadmodum et illam priorem (l. c.) in medio relinquimus cum Bellarmino l. c. c. 14. Sensus profecto fidelium et praxis continuandi indefinito tempore suffragia pro certis defunctis dubitationem hanc non minimum fovet.

III. His positis quaeritur conceptus clarus et distinctus indulgentiae pro defunctis: quid facit scilicet Pontifex cum indulgentiam concedit applicabilem pro defunctis. Disputat hac de re subtiliter Lugus disp. XXVII. sect. 5. quem iuverit consulere. Nobis res hoc pacto concipienda videtur. Actus Rom. Pontificis has indulgentias dispensantis non est, ut diximus, *absolutio* data defunctis, qui eius amplius iurisdictioni non subsunt, neque tamen est simplex *solutio* seu exhibitio pretii Deo; nam intercedere debet aliquis actus pius vivorum, et dispensatio harum indulgentiarum ex thesauro est ipsa quoque actus potestatis clavium, quae solum erga fideles viventes, immediate saltem, exercetur. Est ergo haec indulgentia solutio pro defunctis quidem, sed cum quodam exercitio auctoritatis erga viventes. In indulgentia pro vivis bonum opus, pro quo ea confertur, ponunt ii ipsi, quibus ipsa datur; in indulgentia pro defunctis, non hi, sed alii iisdem iuncti vinculo caritatis ponunt illud opus. Qui sicut possunt auctoritate propria applicare tum aliis, tum ipsis defunctis sua privata suffragia, ita auctoritate Ecclesiae possunt applicare de-

functis indulgentias h. e. remissionem poenae quam ipsi acquirunt. Acquirunt autem non quatenus ipsis formaliter remissio poenae, quam ipsi debent, concedatur; sic enim non esset amplius locus remissioni alterius, sed acquirunt quatenus causam ponunt, propter quam facultas iis fit applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem aequivalentem ex thesauro subministrat Ecclesia. Huc ergo redit concessio indulgentiae pro defunctis, ut sit actus potestatis clavium, quo fidei, aliquod pium opus praestanti, facultas fit applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem, intuitu illius operis, ex thesauro Ecclesiae subministrat Rom. Pontifex.

Haec quidem applicatio a fidei fit eo ipso quod illud pium opus ponit cum ea intentione ut Deus velit eam remissionem poenae concedere defunctis, cuius valorem Ecclesia subministrat ex thesauro. Et quia Ecclesia relinquit fidei applicationem harum indulgentiarum ad defunctos, patet quod pro his indulgentiis necessaria est certe intentio eas lucrandi.

IV. Si res ita intelligatur, non sequuntur ea inconvenientia, quae obiicit Lugus (Disp. cit. n. 67. seq.). Non enim sequitur 1) quod sicut Pontifex potest concedere indulgentiam viventi absque novo opere requisito, valeat pariter hoc pacto quoque concedere defunctis quin ullum opus bonum exigat a vivis, quod ait Lugus esse contra perpetuum Ecclesiae usum. Nam quod possit ita Pontifex agere cum vivis patet, quia loco operis praescripti potest habere locum aliud aequivalens, meritum nempe ex operibus praecedentibus, quae opera adhuc subsunt iudicio et auctoritati Ecclesiae, quae in praemiis vel poenis conferendis se exercet; quia adhuc Ecclesiae subest persona: at in defunctis, qui iurisdictioni Ecclesiae non amplius subsunt, nihil reperit Ecclesia aequivalens operibus bonis, quae praescribit pro concedenda indulgentia. Nec sequitur 2) quod si fidelis propter opus bonum acquirit facultatem applicandi remissionem poenae h. e. indulgentiam defunctis, ipse deberet prius eam suam facere; quod si fieret, iam nequiret applicari alteri remissio poenae, quae effectum suum operata est in vivo. Nam non ita res est concipienda ut fidelis faciat suam seu acquirat indulgentiam *formaliter*, sed acquirit tantum *active*, seu meritorie. Sane quid aliud sonant verba concessionis huiusmodi indulgentiarum, cum dicit Pontifex se dare indulgentias, *applicabiles* quoque defunctis, seu *cum facultate applicandi* quoque defunctis?

Ceterum oportuisset ut Lugus clarius declararet elevationem actuum viventis factam a Pontifice, quam ipse excogitavit. Nam, si quid video, vel est formula quaedam vix intelligibilis, vel si expli-

cari potest per terminos communes, in id resolvetur, puto, quod nos affirmamus.

V. Quæres an status gratiæ saltem in ultimo instanti operis requiratur pro hac indulgentiâ obtinenda. Negat Suarez D. c. Sect. 4. quia, ut ipse censet, Pontifex est, qui *immediate* et *directe* concedit indulgentiam defuncto, solumque a vivente tanquam conditio requiritur aliquod opus bonum; quod et in statu peccati præstari potest. Haec quidem ratio nobis non probatur; quia, ut vidimus, ex s. Thoma, indulgentiâ hæc quoque *directe* datur vivis. Verum superest difficultas: cum enim ratio cur requiratur status gratiæ sit quia remissio poenæ non datur existenti in peccato, ea ratio valere videtur cum remissio poenæ est obtinenda ab eo qui opus facit; at cum est obtinenda ab alio, nempe a defuncto, cur non sufficit status gratiæ in isto? Respondeo quod cum qui indulgentiam, quam acquirit, applicat defuncto, operetur ad modum illius qui suffragatur, iure in hoc requiritur ea conditio quæ requiritur in iis, qui pro aliis satisfacere volunt, nempe status amicitiae divinae. Et quidem hunc exigi pro his indulgentiis acquirendis communior sententia tenet, ait Lugus d. c. n. 75: nihil tamen definitum est ab Ecclesia; nis cum pro certis indulgentiis præscribit aut contritionem aut confessionem.

§ V.

De variis formulis
quibus indulgentiæ concedi solent.

I. Brevioribus nobis heic esse licebit, de praxi enim agitur, quæ ad Canonum peritos potius spectat.

Itaque perpende primum quod mos antiquus et primitivus concedendi indulgentias is fuit, ut non per modum legis illæ proponerentur omnibus, qui hoc aut hoc essent facturi, sed potius singillatim pro opportunitate huic aut illi personæ ad modum personalis privilegii seu beneficii concederentur. Sic facilitatum cum poenitentibus in fine poenitentiae absolutio dabatur. Postea ut ad quædam pietatis opera, ad fidei fervorem, ad defensionem populi christiani, ad pauperum levamen, ad splendorem cultus, ad sacramentorum frequentiam etc. excitarentur fidelium animi, promitti cepit communiter remissio poenæ veluti motivum, quo ad ea opera illi allicerentur. Prior tamen mos etiamnum perseverat, cum e. g. alicui in articulo mortis constituto, ob præcedentia in Ecclesiam merita vel alia motiva, mittit speciatim indulgentiam Romanus Pontifex.

II. Indulgentiarum, quæ alterutro modo dentur, adæquata di-

visio est in partialem et plenariam. Partialem dandi duplex est modus. Prior est magis definitus, cum nimirum dicitur dari remissio alicuius tantum partis poenæ debitæ, puta tertiæ partis (cf. in §. II indulgentiam Urbani III.). Alter modus est minus determinatus; quatenus nempe conceditur remissio unius vel plurium annorum tantum, quæ per se potest esse remissio partialis poenæ, sed fieri quoque potest ut sit remissio totalis, si qui indulgentiam lucratur non sit debitor nisi illius poenæ, cuius remissio indulgetur.

III. Plenaria indulgentia ea dicitur, qua totum debitum poenæ iis, qui illam lucrantur, dimittitur. Quocirca etsi in omnibus eam lucrantibus idem sit formaliter effectus, quia tota, quam debent, remittitur poenæ; materialiter tamen alius et alius erit effectus, quia hic plus, ille minus debebat. Quæritur an verum sit totum debitum reliquum poenæ coram Deo remitti per indulgentiam plenariam digne suscipientibus eam. Mirari quis poterit cur sit qui de hac re dubitet, cum indulgentiæ valeant quantum sonant. Et profecto si sermo sit de potestate, nequit negari esse in Ecclesia potestatem dandi tales indulgentias, ut per se patet ex demonstratione data §. III ex verbis Christi et sensu communi fidelium ita accipientium plenarias indulgentias. Verum quidam dicunt (cf. Tournely de Sac. Poenit. q. ult. art. 1. concl. 5.) reliquam quidem poenam omnem remitti per indulgentiam plenariam, sed eam quæ reliqua sit non solum post iustificationem, verum et post quamdam satisfactionem poenalem a poenitente oblatam. Scilicet monent præceptum poenitentiam agendi naturale et divinum esse ideoque a nemine tolli posse et valere pro omnibus peccatis; tolleretur vero si nulla vel minima supposita satisfactione concederetur alicui plena remissio poenæ, quod tamen in nonnullis plenariis indulgentiis modo habere locum videtur, secus ac in antiquioribus, a quibus plura opera satis poenalia exigebantur. Sane, aiunt, si accipimus testimonium auctoritatis Glossæ in bullam Bonifacii VIII pro Iubilæo, in quo non solum plena, sed plenior et plenissima indulgentia concessa fuit, constat quod ipse Pontifex, qui eam concessit, interpretatus est ipsam hoc pacto: « hanc indulgentiam nempe adeo plenam esse prout clavium potestas se extendit ». Cum ergo clavium potestas non se extendat ad hunc effectum ut peccatores eximat ab obligatione poenitentiae, si quando hæc plenaria indulgentia detur iis, qui nullam vel levem satisfactionem præstiterint, erit quidem plenaria ex parte causæ h. e. clavium, quæ dant quantum possunt dare; sed non ex parte effectus ut omne prorsus debitum tollatur. Hæc opinio imminuens vim indulgentiæ plenariæ, communiter reiicitur. Nec obstat communi sententiæ